

AUCTARIUM IX. TENTAMINIS.

AD PHÆNOM. I. ET CONCLUS. I.

Sub ipsum statim hujus Tentaminis principium, ob-
 soriri posset hæc difficultas circa primum Thermome-
 trorum genus: Dicitur sublato paulùm tubo *AB* (Vid.
Fig. XXXV.) extra vitrum *F*, ut aliquid aquæ efflueret,
 ascendente in ejus locum aere & spatium *BC* e. g. com-
 plente, immersum iterum fuisse tubum aquæ, & sic para-
 tum fuisse Thermoscopium, aquâ, puta, iterum consisten-
 te, sub altitudine *FC* &c. alibi verò (nempe Ten-
 tam. III. Auct. Ad Conclus. I. num. III.) diximus aerem
 hunc inferiorem, etsi inclusum, tantundem tamen valere
 suo elaterio, quantum valeret, si tota reliqua cylindri æ-
 rei moles etiam cum ipso continuaretur: Cur igitur
 inclusus aer *BC* non deprimat omninò aquam *CF*, ad-
 jutus in primis aquæ proprio pondere, & quo modo nunc
 externus aer sustentare valet aquam *CF* naturâ suâ gra-
 vem ac præterea incumbentis aeris *BC* elaterio, externi
 aeris pressuræ æquivalente, onustam? Tollitur autem
 facilè difficultas, si attendatur ad id quod eodem loco cir-
 ca V. dubium qq. monuimus, aeris nempe ingressam por-
 tionem *BC* intra tubum non amplius esse sub eodem
 compressionis statu sub quo fuerat extra tubum, sed
 jamdum elaterii sui virtute amplius expansum actu ipso
 præstitisse quod vult objectio, h. e. aquam jamdum de-
 pulisse non solum ad tantum spatium quantum ipsa po-
 poscisset sub extensione seu compressione pristina, sed ad
 multò majus etiam; ad quantum scilicet valebat nisus ex-
 pansivi cum aquei cylindri pondere conjuncti excessus
 suprâ vim ac pondus externi aeris. Eo ipso autem dum
 se in spatium amplius expandit, magis etiam magisque
 vim ejus elasticam fuisse imminutam tandemque ad eum
 gradum reductam, ut unâ cum pondere subjunctæ aquæ non valeret plus
 quam aer externus integro adhuc elatere contranitens; & sic aquam sub cer-
 tâ altitudine *FC* v. g. necessario rursus constitisse.

AD PHÆN. III. CONCLUS. III.

Quandoquidem aeri libero ac solis radiis directis exposito tertii generis
 Ther-

